



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Sapientissima Dei Mvndvm Regentis Gvbernatio; Ex qua
pendent, quæ vulgò in Casv, Fortvna, Fato, Esse Pvtantvr**

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1645

§. 2. Omnes hominu[m] vires & conatus, contra Deu[m] euntes, irritos
fieri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52314](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52314)

exstruant. Atqui idcirco Deus illos percussit, ut icti saperent; idcirco deiecit, ut mente vnà cum fortunis erecta, resurgerent fortiores, diuinumque, posthac, cultum promouerent; non ut templa expilarent, aut loca Deo dicata euerterent, quæ illorum maiores, per tot prodigia excitati, foundationibus liberalissimis condiderunt: ducti-
Psal. 11. 9. tique, *per vias rectas*; cum isti, tanquam impij, *in circuitu ambulent*, dum ad opes rapiendas reuertuntur, quas illorum pro aui Deo donauerunt. Sed hæc missa faciamus, quia odiosum est, vlcera tangere.

§. II.

Omnes hominũ vires & conatus, contra Deum euntes, irritos fieri.

Multa sunt alia, quæ, ex memorata historia Henrici, erui possunt documenta. Nam & quàm imbecilles atque irriti sint hominum conatus, si diuinæ obnitantur voluntati, & contra stimulum calcitent, perspicuè apparet. Frustrâ nitimini, qui cælo repugnatis; cum Sisypho saxum voluitis, qui consilia contra superiores fabricatis: etiam si gigantes sitis, sidera tamen non expugnabitis: inania meditamini, *ô reges terræ & principes, qui conuenitis in vnum aduersus Chri-*

Psal. 2. 2.

Christum eius. Non est enim in hominis potestate consilium Dei. Vestra potestas, in paucos annos durat, potestas eius in generatione & generationem. Potestas vestra iubere potest; illius potestas facere. Nam data est a Domino potestas vobis: ille à seipso habet potestatem, cui omnis potestas cedit; quoniam magna potentia Dei solius. Itaque frustra filios vestros absconditis, parentes; frustra in peregrinas terras mittitis, vt Deo subducatis. Frustra æmulos vestros, ò aulæ; dolo, ferro, veneno petitis; si illis diuina prouidentia regnū præparauit, digitulo vno non attingetis. Frustra vos, ò portæ Inferi, Ecclesiam impugnatís: *Portæ Inferi non preualebunt aduersus eam.* Frustra vos, ò impij, pios monitores persequimini: *custodit Dominus animas Sanctorum suorum.* Potest eas, per tela, per ignes, per omnes machinationes vestras, per mille discrimina, per Iordanes, per maria, per leones, per caminos ignis ardentis, educere ad felicitatem. Aspera hæc quidem, sed, etiam per ambages, restata est via.

Daniel. 3.
100.
Sap. 6. 4.
Eccli. 3.
21.

Matth.
16. 18.
Psal. 96.
10.

§. III.

In Comite Palatino, vices alternans For-

trina.

I 2

In